

*Doc. 25 (Scriptum est eidem [iustitiario
Basilicate] etc. Cum beneplaciti...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 25 (Scriptum est eidem [iustitiario
Basilicate] etc. Cum beneplaciti...)*

1280-09-16

Scriptum est eidem (iustitiario Basilicate) etc.

Cum beneplaciti nostri sit quod in palatio nostro Lacuspensis de vino rubeo Melfie meliori quod haberi poterit, percipiendo presenti vindemiarum tempore, in vegetibus nostris, que in palatio ipso sunt usque ad salmas quadringentas ad salmam generalem studiose ac salubriter reponi debeant et srvari, ut cum illuc venerimus estate videlicet proxima futura vinum ipsum inveniamus bonum et utile pro usu nostro et hospitii nostri, fidelitati tue sub pena unciarum auri centum firmiter et expresse precipimus quatenus, electis in continenti quatuor burgensibus Melfie sufficientibus et fidelibus ac in hiis expertis et adhibito eis viro de familia tua ultramontano videlicet aut de stipendiariis nostris tecum morantibus de quo plene confidas, predictum vinum de meliori vino rubeo dicte terre quod inveniri poterit, musto scilicet, presenti vindemiarum tempore, quo meliori foro habebitur, usque ad quantitatem predictam quadringentarum salmarum emi facias per eosdem de pecunia curie nostre, quam eis de quacunque fiscali pecunia existente vel futura per manus tuas, sive de presenti generali subventionem vel undecumque exhibeas in necessaria quantitate considerato foro quo vinum ipsum ibidem communiter distrahetur. Ita quod in hoc non contingat curia nostra modo quolibet decipi vel fruari, cum videlicet tibi totaliter incumbamus, et vinum ipsum emptum ad predictum palatium nostrum deferri facias cum iustis et moderatis expensis faciendis per eosdem statutos tuos de pecunia nostre curie supradicta eis per te similiter exhibenda, reponendum in predictis vegetibus cum illis quibus expedierit diligentia et studio et repositum assignandum Bertoldo bruno,

custodi eiusdem palatii, quem in repositione ipsius vini super mensuris personaliter interesse et fide oculata mensuras ipsas volumus intueri, a quo de assignatione ipsius vini sub sigillo suo et a venditoribus de pretio ac a delatoribus de delatura eiusdem recipi mandes et facias per statutos predictos apodixas ydoneas ad cautelam, tui ratiocinii tempore producendas, de particulari autem emptione vini predicti, sicut de die in diem emetur, fieri volumus quaternum unum continentem quantitatem totam emendam, nomina et cognomina venditorum, quantum a quolibet emptam fuerit, ad quam rationem et pro quanta pecunie quantitate, quem usque per totum quintum diem proximo futurum mensis novembris huius none indictionis cum litteris tuis continentibus nomina et cognomina predictorum statutorum tuorum, quantitatem totam dicti vini emptam, delatam et in predictis vegetibus repositam ac predicto Bertoldo assignatam, cum die assignationis et forma etiam apodixe, quam exinde dictus Bertoldus fecerit nobis et magistris rationalibus etc. destinare procures. Super cuius vini emptione et repositione eam adhiberi facias curam diligentem et studium oportunum, quod predicto estatis tempore vinum ipsum bonum inveniamus et utile pro usu nostro et nostri hospitii supradicti, quia si secus esset recursum inde ad te totaliter haberemus.

Datum Melfie die XVI septembris VIII indictionis (1280).